



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

5. [i.e. 6]. E Charybdi in Scyllam incidere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

V. (g) Denique libet hic addere tritum adagium: *Evitata charybdis in Scyllam incidi.* Id versu exprimitur.

Incidit in Scyllam, qui vult vitare charybdin. Quò bifariam uti licebit: vel cùm admonebimus, si quando in eas rerum angustias deventum fuerit, ut citra dispendium discedi non queat, è duobus malis, id, quod est levius, eligamus: vel cùm ostendemus negotium anceps & periculosum, in quo summa moderatione sit opus, ut in neutram partem peccetur. Non rarò nocuit, nimum vela permisisse ventis; tumor ipse & inflatio navium allisit in scopulos, & fregit. Securiùs aliquando, etsi lentius utimur remis. Velocior cursus festinat ad pericula. Multos perdidit fortuna secundior, qui rebus adversis tutò jactabantur; Servati sunt in calamitatum charybdi; Scyllam reppererunt in felicitate. Tanti refert inter Charybdin & Scyllam naviganti, velis præcipitet navim, an torqueat remis. Ancipiti qui malo premitur, minus eligit. Et sæpè discrimen unum alio pertumpendum est.

(g) *E Charybdi in Scyllam.*

## SYMBOLUM LXIII.

Iphigenia, Regis Agamemnonis Filia, ad aram  
victima.

12. *Metam. Homerus lib. 2. Iliad.*

### Ethicè.

1. Dæmonis crudelia sacrificia. 2. Innocens pro nocente plectitur.
3. Charitas patriæ. 4. Auxilium Dei subitum.

**C**onjurati in Phrygiæ perniciem Græci Principes, cum navibus mille centum octoginta sex, ut Homerus refert: ut verò Dictys Cretensis cum mille ducentis nonaginta quinque: seu ut Dares Phrygius habet, mille centum quadraginta navium classe, reliquòque belli apparatu in *Aulide*, Bœotia portu, convenerant, ut inde pariter ad evertendum regnum Troianum, ulturi injurias à Paride, Helenam, Menelai regis, uxorem perfidè rapiente, illatas, navigarent. Antequam solverent, cùm Jovi sacrificare vellent, ecce serpens platanum, aræ im-

A a a

minen-